

*Instrumentum permutationis tra
i Lorenzo Pergola e Arofino de
Satriano, preti di San Gerardo, e
Francesco de Tramutula di Potenza*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Instrumentum permutationis tra
i Lorenzo Pergola e Arofino de
Satriano, preti di San Gerardo, e
Francesco de Tramutula di Potenza*

1487 dicembre 15

† In nomine domini nostri Iesu Christi, amen. Anno a
nativitate ipsius millesimo quatricentesimo octuagesimo
septimo, regnante inclito et serenissimo domino nostro
domino Ferdinando Dei gratia rege Sicilie, Hierusalem et
Hungarie, regnorum vero eius anno tricesimo, feliciter,
amen. Die quintodecimo decembris, sexte indictionis,
Potencie, et proprie in ecclesia cathedrali Sancti Girardi
de Potencia predicta.

Nos Freda de Palermo de civitate Potencie eiusdem
in toto regno Sicilie regia auctoritate ad contractus
iudex, Robertus Contardus de Tito puplicus ubilibet per
totum idem regnum eadem regia auctoritate notarius
et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati
presenti scripto puplico permutationis instrumento
fatemur, notumfacimus et testamur quod eodem die
coram nobis et in nostri presentia presentibus et
personaliter constitutis venerabili domno Laurentio
Pergule et domno Arofino de Satriano de Potencia,
presbiteris et procuratoribus in presenti contractu dicte
ecclesie et electis per capitulum eiusdem ecclesie,
cum consensu venerabilium domni Stephani Pergule
archidiaconi et vicarii Potentini, domni Gerardi de
Dionisio, domni Paolo de Sacco, prete, domni
Bartholi de Lauro, domni Gerardi de Cannillo,
domni Petri de Roto, domni Leonardi de Vineola
et domni Antonelli de Surdo, canonicorum eiusdem
ecclesie Potentinorum, pro maiori et saniori parti
presentium, consentientium unanimiter et pari voto
atque ipsorum nemine discrepante acceptantium et
auctoritatem dantium eisdem procuratoribus agentibus
procuratorio nomine et pro parte dicte ecclesie et
capituli eiusdem in choro ecclesie ipsius ad sonum

campanelle, ut moris et iuris est, capitulariter propterea congregatorum archidiaconi et vicarii et canonicorum predictorum parte ex una, et Francisco de Tramutula de Potencia eadem similiter agente pro se et suis heredibus et successoribus ad infrascripta omnia et singula parte ex altera. Dicti quidem procuratores, nomine quo supra, auctoritate et consensu quibus supra, atque Franciscus ipse, frater tercii ordinis Sancti Francisci, consentientes in nos predictos iudicem et notarium ut in suos cum scirent ex certa scientia ipsorum nos suos non esse, sed nostram iurisdictionem in se sponte et voluntarie prorogantes ipsi iurisdictioni nostre se in hac parte submiserunt, asseruerunt coram nobis eisdem quod iam sunt elapsi menses tres vel circa quod dicte ecclesie presbiteri et Franciscus predictus devenerunt ad infrascriptam permutationem et cambium, videlicet quod predicti presbiteri permutaverunt et assignaverunt eidem Francisco presenti et recipienti unam partem terre eiusdem ecclesie site et posite in tenimento civitatis eiusdem et proprie prope pascum picculum, confinatum, ut dixerunt, a superiori parte iuxta viam publicam ab inferiori parte, iuxta aliam partem ipsius terre quam tenet dictus domnus Bartholus ad censum ab eadem ecclesia, sulco comuni mediante, ab uno latere iuxta vineam Antonii de Colocto, sepe mediante, et ab alio latere iuxta dictum pascum picculum et alios siqui sunt confines. Et Franciscus ipse permutavit et assignavit dictis presbiteris et ecclesie duo petia terrarum sitarum in eodem tenimento Potencie predictae et proprie in pertinentiis Robisci, ubi dicitur le Braide de Robisco, confinatum unum petium terrarum ipsarum a superiori parte iuxta viam publicam qua itur Potencia ad Petram Gallam, ab inferiori parte iuxta terras ecclesie Sancte

Trinitatis Potencie, limite mediante, ab uno latere, ab alio latere iuxta vallonum Fontis de Occhiana et terram dotalem Luciani de Talucio, aliud vero terrarum petium est confinatum, ut dixit, iuxta viam publicam predictam a superiori parte, ab inferiori parte iuxta etiam terras eiusdem ecclesie Sancte Trinitatis, limite mediante, et ab uno latere et etiam ab alio latere iuxta terras quoque dicte ecclesie Sancte Trinitatis et alios confines siqui sunt. Et quia de permutatione ipsa et assignatione, ut supra factis, partes ipse, nominibus quibus supra, nullum pro cautela publicum confici fecerant documentum, idcirco prenominati, quo supra nomine, procuratores auctoritate et consensu quibus supra coram nobis eisdem non vi, dolo malo, metu ad id inducti aut suasionem moti vel aliter circumventi, ut dixerunt, sed sua pura, mera, pura, gratuita et spontanea voluntate presentes ex nunc et prout ex tunc et ex tunc prout ex nunc permutaverunt et titulo permutationis et cambii traddiderunt ac per fustem dederunt et assignaverunt, iure proprio, ut supra nomine, et in perpetuum, predicto Francisco ibidem presenti, recipienti et stipulanti pro se, suis heredibus et successoribus ab eisdem, quo supra nomine, procuratoribus predictam partem terre dicte ecclesie, ut supra, suis loco et finibus designatam. Et vice versa dictus Franciscus coram nobis eisdem presens non vi, dolo malo, metu ad id inductus nec aliquibus suasionibus circumventus, sed sua pura, mera, libera, gratuita et spontanea voluntate ex nunc prout ex tunc et ex tunc prout ex nunc permutavit et eiusdem permutationis titulo et nomine traddidit et per fustem dedit et assignavit, iure proprio et in perpetuum, ei~~s~~dem, quo supra nomine, procuratoribus presentibus auctoritate et consensu quibus supra, recipientibus ab eodem Francisco

et stipulantibus pro predicta ecclesia et capitulo eiusdem supradicta duo petia terrarum suarum suis loco et finibus ut supra designata, francham et francha dictam partem terre ab eisdem, nomine quo supra, procuratoribus permutatam dicto Francisco et dicta duo petia terrarum eisdem, quo supra nomine, procuratoribus ab eodem Francisco permutata, liberam et exemptam ac libera et exempta ab omni onere servitutis, redditus, servicii sive census, sine submissione et subiectione quibuscumque, cum omnibus eorundem terrarum permutatarum hinc inde iuribus, proprietatibus, actionibus, rationibus, introitibus, exitibus et pertinentiis omnibus ad ipsas terras, ut supra, permutatas spectantibus et pertinentibus quovis modo et cum integro statu earum prout consistunt et consistere consueverunt, ad habendum supradictos, quo supra nomine, procuratores et dictam ecclesiam atque capitulum predictum predicta duo petia terrarum dicti Francisci sibi ipsis, ut supra permutata et assignata, et supradictum Franciscum suosque heredes et successores dictam partem terre predictae ecclesiae sibi ipsi ut supra permutatam et assignatam cum earum introitibus, exitibus, iuribus, actionibus, rationibus et pertinentiis omnibus et aliis supradictis [ita francas, ut premictitur, ad habendum,] possidendum, vendendum, alienandum, donandum, legandum, utifruendum faciendum et disponendum [de eis et] in eis quicquid cuilibet ipsarum partium permutantium, videlicet ipsis, quo supra nomine, procuratoribus [...] in eadem ecclesia de terris ipsis sibi permutatis [et datis, ut supra, ipsi, heredibus et successoribus] de dicta parte terre sibi permutata [ut supra deinceps placuerit] et melius visum erit agendum [tamquam de re] sua propria atque causa tanquam veri

domini et patroni, nomine quo supra, et verus dominus et patronus [...] prefati, quo supra nomine, procuratores auctoritate et consensu [predictorum] capituli et successorum eorum in dicta ecclesia [reservarent nec] quomodolibet reservaverunt in predicta parte [terre, ut supra, permutata cum] dicto Francisco, et predictus Franciscus in et super dictis duobus petiis terrarum [...] quo supra nomine, procuratoribus permutatarum et assignatarum [similiter] et successorum nil retinuit nec quomodolibet reservavit ac earum iuribus, rationibus et pertinentiis omnibus aliisque supradictis [...] terrarum per eundem Franciscum eisdem, quo supra nomine, procuratoribus permutata et data [...] procuratorum dicte ecclesie et capituli atque in eadem ecclesia [...] supradicta pars terre eidem Francisco ab eisdem, quo supra nomine, procuratoribus permutata et data in ipsius Francisci, suorumque heredum et successorum [a predicto] die in antea transeant dominium, potestatem et propriam actionem. Preterea [...] coram nobis asseruerunt quod predicta duo petia terrarum per eundem [...] permutata et data eidem ecclesie et dictis procuratoribus, nomine quo supra, sunt maioris precii et valoris [...] quo supra nomine, procuratores permutata et data eidem Francisco, et propterea sciens Franciscus ex certa scientia sua quod sunt maioris precii et valoris illud maius [...] precium et valorem, Franciscus ipse sponte et voluntarie propter sui animi liberalitatem et propter meliorationem [...] dicte ecclesie eidem ecclesie et eisdem, quo supra nomine, procuratoribus donavit et [donationis] titulo irrevocabiliter inter vivos dedit, traddidit et per fustem assignavit ad habendum, tenendum et alia faciendum ut supra, et promiserunt sibi ad invicem partes ipse una alteri et altera alteri

presenti, recipienti et stipulanti ut supra, sollemniter et legitime rem a se permutatam et datam alterius nomine possidere, donec possessionem rei sibi permutatam quelibet ipsarum partium apprehenderit corporaliter quam intrandi et de cetero retinendi auctoritate sua propria una alteri et altera alteri licentiam et potestatem concessit etiam sine licentia iudicis et decreto pretoris. Promictentes etiam ambe partes auctoritate et consensu quibus supra una alteri et altera alteri presenti, recipienti et stipulanti ut supra per stipulationem legitimam et sollemnem dictas res, ut supra, a se ipsis permutatas et datas invicem et ipsam permutationem et donationem ac omnia et singula in presenti instrumento contenta legitime defendere, antestare, disbrigare, exalumniare, auctorizare et guarentire et de evictione teneri ab omnibus hominibus et personis, universitate, dominis seu collegio et ab omni persona volenti contravenire et super et de rebus ipsis ut supra permutatis et datis invicem et donatione iamdicta ac omnibus in presenti instrumento contentis litem, controversiam vel questionem aliquam ullo unquam tempore non inferre nec inferenti consentire, assistere vel assentire, sed ipsam permutationem et cambium atque donationem ac omnia et singula suprascripta et infrascripta ratam, gratam et firmam ac rata, grata et firma habere, tenere perpetuo eaque actendere, adimplere et inviolabiliter observare, semper et omni futuro tempore et nunquam contrafacere, dicere, allegare, opponere vel venire per se ipsos, quo supra nomine, procuratores, capitulum et successores eorum in eadem ecclesia et per se ipsum Franciscum, heredes et successores suos aut alium vel alios ipsarum partium nomine et pro parte quovis modo, in iudicio vel extra iudicium, de iure vel de facto,

aliqua occasione, modo, causa, ingenio seu tractatu sub obligatione earundem ipsarum partium auctoritate et consensu, quibus supra, dicte ecclesie, capituli et successorum eorum in eadem et heredum et successorum suorum et bonorum omnium dicte ecclesie et dicti Francisci eiusque heredum et successorum mobilium et stabilium seseque moventium, presentium et futurorum ubicumque sistantium et de cetero extitutorum et aliorum cuiuscumque vocabuli appellatione distinctorum ac etiam eorum que in generali obligatione non veniunt sive speciali verborum expressione et quod ad ignorata extendentur et ad penam unciarum decem auri, medietate videlicet ipsius pene si eam commicti contingat apostolice, archiepiscopali, episcopali, regie aut alteri cuicumque curie ubi exinde legitime reclamatio facta fuerit vel querela, et altera medietate pene eiusdem alteri ipsarum partium observanti et non contravenienti et ipsorum successoribus in eadem ecclesia ac ipsius Francisci heredum et successorum observantis et non contravenientis integre persolvenda totiens quotiens fuerit exinde quomodolibet contraventum, me predicto notario tamquam persona publica pro parte dicte curie et dictis partibus invicem una ab altera et altera ab altera presentibus et stipulantibus, ut supra, penam ipsam stipulantibus. Qua pena commissa vel non commissa, soluta vel non soluta, exacta vel non exacta aut gratiose remissa presens nihilominus instrumentum cum omnibus in eo contentis in suo semper robore et efficacia perseveret, rato manente pacto cum refectione et integra restitutione omnium et singulorum damnorum, interesse et expensarum litis et extra litem que fierent propterea quoquomodo, de quibus stari et credi debeat assertioni cum iuramento tantum alterius ipsarum

partium observantis et non contravenientis ipsiusque successorum ac ipsius heredum et successorum, nulla alia probatione quesita, ita quod reduci non possit ad arbitrium boni viri nec exinde quomodolibet appellari aut aliter reclamari. Et renunciaverunt dicte partes auctoritate et consensu quibus supra per se et suos successores in eadem ecclesia et per se suosque heredes et successores una alteri et altera alteri presenti, recipienti et stipulanti ut supra, ex certa sua sciencia voluntarie et expresse exceptioni doli mali, vis, metus et in factum, presentis non sic celebrati contractus, exceptioni deceptionis et fraudis rei que predicto modo non geste seu aliter habite, quam ut superius et inferius continetur et est expressum, exceptioni dicte permutationis et cambii dicteque donationis non factarum modo premissis ut superius continetur, privilegio fori, scripto et non scripto, beneficio restitutionis in integrum, conditioni indebite ob causam et sine causa, licetis, cedulis, moratoriis, privilegiis et rescriptis impetratis vel impetrandis ipsisque impetratis promiserunt partes ipse non uti nec ipsorum vigore aliquo se iuvare etiam si procederent proprio motu quorumcumque dominorum spiritualium vel temporalium, usibus, consuetudinibus, constitutionibus et capitulis quibuscumque in contrarium adversantibus quoquo modo et omnibus aliis auxiliis omnium iurium atque legum tam in corpore iuris canonici quam civilis sistentium et in favorem ecclesiarum ecclesiasticarumque personarum introducendarum et introductarum, iuri prohibenti penam in contractibus apponi appositamque exigi et exposci debere, iuri dicenti generalem renunciationem non valere et iuri quo cavetur quod dicto iuri renunciari non possit, quibus vel ipsorum

aliquo suffragantibus dicta permutatio et cambium atque donatio supradicta predictaque omnia atque infrascripta seu scripti huius tenor possent in aliquo minui vel infringi. Certiorate prius, ut dixerunt, dicte partes per iurisperitum de iuribus, legibus, ipsis auxiliis, beneficiis et effectibus eorundem quam renunciarent eisdem, pro quibus omnibus et eorum singulis firmiter actendendis, adimplendis et inviolabiliter observandis quodque predicta omnia et eorum singula vera sunt et in nullo unquam vacillent predictae partes auctoritate et consensu quibus supra una alteri et altera alteri presenti, recipienti et stipulanti ut supra coram nobis eisdem tactis licteris iuraverunt et corporale iuramentum prestiterunt, et fuit actum inter partes ipsas pro cautela alterius earundem observantis et non contravenientis quod si qua in presenti instrumento iuris vel facti clausula aut sollemnitas deficeret tacite et expresse intelligatur in eo vel forte perderetur seu aliquis actus minus utilis et necessarius appareret totiens ad consilium sapientis eligendi per alteram ipsarum partium observantem predictam et non contravenientem semel, bis et pluries quotiens opus erit corrigi, possit refici et emendari, suppleri et minui omnes et singulas clausulas utiles et necessarias atque oportunas veritatis et facti substantia non mutata, parte vocata vel non vocata que tangitur in adversum presente vel absente, scienter vel ignoranter volente vel contradicente aut una ipsarum presente altera vero absente super quibus partes ipse auctoritate et consensu quibus supra expresse renunciaverunt iuri dicenti in refectionem instrumentorum partem que ledi posset vocari debere. Et voluerunt partes ipse quod de predictis possint fieri duo publica consimilia instrumenta, unum ad cautelam prefatorum procuratorum, nomine quo

supra, dicte ecclesie, capituli et successorum ipsorum in eadem et aliud ad cautelam dicti Francisci, eius heredum et successorum, hoc autem factum est ad instantiam et cautelam dictorum, quo supra nomine, procuratorum dicte ecclesie, capituli et ipsorum successorum in eadem. Unde ad futuram rei memoriam et dictarum partium preces ac alterius cuiuslibet earundem cautelam atque omnium quorum et cuius inde interest et interesse poterit in futurum certitudinem, factum est exinde de premissis hoc presens publicum instrumentum per manus mei predicti notarii signo meo solito signatum, mei, cuius supra, iudicis et nostrum subscriptorum testium signis et subscriptionibus roboratum.

1

2

. Quod scripsi ego idem Robertus publicus ut supra notarius, qui premissis omnibus vocatus et rogatus interfui ipsumque meo signo consueto signavi. † Ego qui supra Freda de Palermo de Potencia regius ad contractus iudex interfui et me subscripsi et signo meo solito signavi. (S) FREda † Ego Marcus Antonius Cappellus Potentinus testor. † Ego Lambertus de Missanello de Potencia testis interfui.

3

4

Tramutola (Potenza).
 PLa parola è ripetuta.
 Le lettereFRE sono in monogramma.
 Missanello (Potenza).